



Proprium sanctorum Patriae pro Vicariatu Apostolico Limburgensi

<https://hdl.handle.net/1874/237188>

88

The image shows a piece of marbled paper with a complex, organic pattern. The background consists of diagonal, wavy stripes in shades of grey and white. Overlaid on this are dark, almost black, branching veins that resemble marbled paper or perhaps biological tissue. The overall effect is a dense, textured, and somewhat chaotic visual.

Vak 80

mm 14103

PROPRIUM
 SANCTORUM PATRIÆ
 PRO
 VICARIATU APOSTOLICO
 LIMBURGENSI.
 PARS HIEMALIS.



DIE XIX. DECEMBRIS.

IN FESTO SANCTI

MEGENGOSIConfessoris non
Pontificis.

*Fit tantum commem-
 oratio in primis Ves-
 peris & ad Laudes.*

Oratio.

PROPITIARE quæsu-
 mus Domine pec-
 catis nostris, & beato
 Megengoso Confesso-
 re tuo intercedente,
 ab omni nos adversi-
 tate clementer defen-
 de. Per Dominum nos-
 trum Jesum Chris-
 tum.

DIE I. MARTII.

IN FESTO SANCTI

SWITBERTIEpiscopi & Con-
fessoris.

SEMIDUPLEX.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus,
 omnipotens Deus,
 ut beatum Switber-
 tum Confessorem tu-
 um atque Pontificem;
 quem fidei prædica-
 tione, & miraculo-
 rum gloria mirifica-
 sti in terris, apud
 tuam misericordiam
 semper intercessorem
 habere mereamur in
 cœlis. Per Dominum.



Ad Matutinum & alias Horas omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter propria quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectioes de Scripturâ occurr., aut de comm., ut infra, si sit in Quadrag. Fidelis sermo.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

SWITBERTUS, patre Switberto, ex illustri Angliæ Comitum familiâ, & matre Bertâ, pari splendoris laude femina natus est, quæ illum multis a Deo, & assiduis precibus ac eleëmossynis obtinuit. Dato igitur per noctem fulgentis stellæ indicio, concepit Berta; & cum pariendi advenisset hora, fulgor nimius totam illam regalem cameram, in qua paritura erat, re-

plevit, portendens prolem hanc magnam lucem orbi esse allaturam. Quod res ipsa postea comprobavit: ac primum quidem in monachatu Bear-daucensis monasterii, & postmodum in Ecclesiæ Eboracensis Canonicatu ita se gessit, ut humilitatis, pietatis, omniumque virtutum laude, omnes longe anteciret; ac Angelicam magis, quam humanam in hoc sæculo vitam ducere videretur.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim mea auxiliabitur ei. ✕. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocet ei.— Manus.

Lectio v.

POSTEA beatus Egbertus vir miræ sanctitatis ac zeli

Switbertum in Frisiam, & Saxoniam prædicandi Evangelii gratiâ cum Willibrordo ac aliis collegis, sexcentesimo nonagesimo post Christum anno transmisit: quos ille populos cum ab inanium deorum culturâ ægerri- mē posset abducere, ad Duirstadiensem postea vicum profectus, adversus idolorum vanitatem prædicans, ab idolorum sacerdotibus comprehensus, & diris exceptus verberibus, in tetrum carcerem conjectus est, nec multo post ab Angelo inde ereptus. Sacerdos postea, & sancti Willibrordi Coëpiscopus factus, Brunswicensibus, Westphalis, ac vicinis populis Evangelium prædicavit: ubi & fana gentilitia evertit, & miraculorum frequentiâ,

ac mortuorum etiam suscitatione, plurimos, contempta idolorum spurcitiâ, ad veritatis lucem perduxit.

R. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ✠. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.— Manus enim.

Lectio vj.

SUB finem vitæ suæ in vicum Werdensem ad ripam Rheni constitutum, nunc Werdam, seu insulam Caesaris dictam, quem Pipinus illi donaverat, cum discipulis suis se recipiens, ibique toto triennio sanctissime vivens, Evangelii prædicationem nunquam intermisit. Tandem vero languore correptus, pauculis ante mortem diebus

(quam in propinquo esse, angelicâ prædicatione didicerat) totum se dabat devotissimis orationibus. Ipso vero die, quo moriturus erat, in conspectu fratrum suorum celebrari sibi fecit sacra Missarum solemnia; ac deinde sumpto Dominico corpore, & sanctæ crucis se & circumstantes omnes signo muniens, in Domino quievit, ab Angelicis choris in consortium sanctorum receptus, septingentesimo septimo decimo a nato Christo anno, suæ vero ætatis sexagesimo nono. Mox vero facies ejus cœlesti fulgore resplenduit; & cella, in quâ mortem obiit, instar suavissimæ apothecæ, mirâ odoris fragran-

tiâ omnes recreavit. Sed & sepulcrum ejus crebris miraculorum signis, maxime vero Anginæ curatione (quam etiam vivens curare solitus erat) Deus coruscare fecit.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est:

* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ✠. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna.— Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium.

Vos estis sal terræ, de communi Doctorum.

Octavum & Sint lumbi.

Missæ. Statuit.

WERTHÆ, APUD J. M. H. SMEETS,
 TYPOGRAPHUM ET BIBLIOPEGUM.